Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 641
Quelle:
Copyright:

lat toto iam triennio communione. Edit. *negata ipsi usque hoc tempus toto iam* &c. Noster p. 2. *inuiolata religio.* Edit. *inviolata religiosa.* Nost. *et hec omnia cum incboande* &c. Edit. *et cum omnia inchoandae* &c. Nost. habet illam περιχοπην: *Si diligenter hec sententia expensa fuisset* &c. quam *Mauriani* repudiant. *Fol.* 3. p. 2. post Decretum *Sirmiense* minio nobis in margine notatur: *Hucusque blasphemie verba apud syrmium conscripte*, et deinceps XII. *Orientalium Diffinitiones* ab *Hilarii Expositionibus* eleganter titulis distinguuntur. Variant tamen *Diffinitiones* ab Editis. Ita *prima* sic nobis: *Si quis audiens ymaginem esse filium dei inuisibilis. quasi non confitens uere filium. anathema sit.* Argumentum: *Manifestum est enim* &c. quod in Edit. pars est *Diffinitionis* IV. in Nostro ad *Hilarii Expositionem* pertinet, et melius legit *significari* quam *significata.* Finis Libri: *in diem reuelacionis reseruet opto fratres.* Illud vero, quo Librum absolvi in recentioribus *mss.* notant Mauriani, nobis paullo supra finem jacet in margine sic: *Homousion grece v. et interpretacio eius unius substancie. et homoeusyon similis substancię.* Clausula Librarii: *Explicit Hylarius de Synodis orientalibus.* Adi et *Cod.* CCIII. et CCLII.

II. *fol.* 27. *Incipiunt note in libro Beati Hylarii de Trinitate. In Primo. Sed inter hęc animus sollicitus. utili ac necessaria ad cognitionem domini sui uia nitens* &c. Excerpta haec omnes XII. *de Trinitate* Libros, qui in *Edit. suprac.* a *col.* 765. ordiuntur, pervadunt, jam prolixiora, jam breviora. Neque haec indigna cum *Impressis* conferri.

III. *fol.* 51. sequitur alia Defloratio Operum *Hilarii*, aliorumque *PP.* cui praemissa sunt de Eo testimonia ita minio inscripta: *Quanta auctoritate et reuerentia Hylarium pictauiensem episcopum et eius dicta Jeronimus et Augustinus habuerint: eorundem auctoritates que secuntur docent.* Quinquies itaque prior et quater posterior excitatur. Tota deinde de *Trinitatis* mysterio doctrina *Distinctionibus* XXII. pertractatur meris *PP.* et praecipue *Hilarii* locis, in cujus lectione Excerptorem nostrum versatissimum fuisse oportet. Reliqui, quos advocat, Patres et Scriptores sunt: *Boethius*, *Athanasius*, *Theodoritus*, *Conc. Toletanum*, *Augustinus*, *Origenes*, *Hieronymus*, *Hormisdas* Papa, *Sophronius* Patriarcha *Hierosol. Virgilius*, imo *Vigilius* non sane *Tridentinus*, sed *Tapsensis* in *Africa* Ep. *Ambrosius*, *Gregorius Naz. Leo M. Fulgentius*; quorum cum et multa et saepe satis prolixa loca adferantur, non inutilem Collatoribus praestarent operam, promerenturque, ut toti Compilationi titulus *Catenae PP. de Trinitate* adponatur.

Codex hic egregius, ut in principio et fine notatur, fuit olim *Monasterij* seu *Domus S. Johannis*